



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Centvriæ Selectorvm Casvum Conscientiæ. I. II. III.tia

Burghaber, Adam

Fribvrgi Brisgoiæ, 1665

76. Sigismvndvs in subitum morbum incidit, nullumque amplius signum doloris dare valet; ad quem nihilominus vocatus Parochus malè ipsi dengat Sacramentum Extremæ Vnctionis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40942

non inducit virum prudentem, ut in re tam graui plenam fidem habeat, sibi que persuadeat, coniugem grauius quidem in contractu matrimoniali decepisse: in hac autem iurata assertione non decipere.

LXXVI. *Sigismundus subito morbi impetu in eum statum conijcitur, ut nec signum doloris dare, nec Sacramentum vllum petere possit. Vocatur nihilominus Parochus loci à familiaribus, rogaturque, ut cum morte luctanti saltem Sacramento extremae Vnctionis succurrat, qui negat fieri hoc posse, cum Sigismundus vix amplius sit rationis capax, & prius hoc Sacramentum nullo signo petiuerit, ut ut alias tanquam bonus Christianus vixerit. Queritur. Vtrum Parochus rectè Sacramentum extremae Vnctionis negauerit?*

Videtur rectè negasse. Nam Sacramentum Pœnitentiæ non potuit Sigismundo in illo statu ministrari, Ergo nec extremae Vnctionis.

Resp. Parochum malè & ignoranter Sigismundo moribundo negasse Sacramentum extremae Vnctionis. Ita ex communi DD. Barbosa *de Offic. Parochi. c. 22. num. 11. & seq.* Nam qui Christianus est, & vult in Ecclesia viuere & mori, vult etiam eius Sacramentis debito tempore iuuari, quam voluntatem Ecclesia præsumit de omnibus, qui signa pœnitentiæ suo tempore exhibuerunt; quippe qui non probatur malus, bonus præsumi debet.

Oo s

Atqui

Atqui Sigismundus fuit Christianus, & voluit in Ecclesia viuere & mori, cum aliud de ipso probari non possit. Ergo voluit etiam eius Sacramentis in articulo mortis iuuari. Ergo Parochus malè & ignoranter ipsi negauit salutem Sacramentum extremæ Vnctionis, cum nec actualis aduertentia, nec expressum signum doloris & deuotionis requiratur, vt rectè P. de Dicastillo Tom. I. de Sacram. Tr. 8. D. 1. n. 144.

Ad rationem in contrarium negabunt multi Authores antecedens, quorum sententiam, quò minùs Parochus in praxi tutò sequeretur, nulla ipsi lex obstitit. Nos conformiter ijs, quæ diximus *cent. 1. casu 81.* negamus Consequentiã cum Card. de Lugo de Sacram. in Gen. D. 9. n. 122. quia Sacramentum pœnitentiæ ex speciali ratione continet iudicium, quod inchoari nequit, si non sit, qui causam deferat, vti fit in proposito, & pluribus ostendimus *loc. cit.* secus autem se res habet in extrema Vnctione, ad quam voluntas tam specialis & propinqua non requiritur, vt proinde sufficiat generalis illa, quâ quis ex vi professionis Christianæ sacramenta recipere in tali statu velle censetur.

LXXVII. *Sylvius homo rusticanus sepe abit in syluas spectantes vel ad priuatos quosdam dominos, vel ad alienam communitatem, cuius ipse non est pars, & ex his ligna cedit, secumq; auecta vendit.*